

Die 14 ianuarii 1613.

Sanctissimus Dominus Noster Paulus papa V, audita relatione mea  
veridica et sincera, qui nomine Ill/ni et Rev/ni domini Cardinalis  
Deti viceprotectoris venerabilis Archiconfraternitatis Gonfalonis,  
5 interfueram die praecedenti congregationi generali eiusdem Archi-  
confraternitatis, interrogavit quae essent nomina Guardianorum prae-  
teriti anni, et an essent confirmati pro anno praesenti a maiori  
parte Confraternitatis viva voce; et cognito quod nomina eorum es-  
sent, Ill/mus et Rev/mus dominus de Sabellis, et illustres do-  
10 mini Caesar Rodianus, Paulus Millinus et Octavius Robertus, et quod  
fuissent confirmati viva voce a maiori parte Confraternitatis tum in  
die Sancti Stephani, tum in die Dominica infra octavam Epiphaniae,  
idem Sanctissimus dixit se confirmare praedictos dominos pro guar-  
dianatu huius praesentis anni, et supplere omnes defectus, si forte  
15 intervenissent, et sic velle et statuere, non obstantibus quibus-  
cumque. Addidit quoque idem Sanctissimus, ut occurratur in futurum  
rumoribus, qui in huiusmodi confirmationibus oriri solent, se velle  
et statuere ut deinceps, cum agatur de confirmandis Guardianis, id  
fiat per vota secreta, currente bussola per totam congregationem,  
20 et non requiratur ad conclusionem ut omnes consentiant, sed satis  
sit ut maior pars consentiat, ita ut illi qui maiorem partem suf-  
fragiorum secretorum habuerint, intelligantur confirmati.

Ita est. R. cardinalis Bellarminus.

---

25 Nro Sig/re mi ha dato autorità di chiamare li sbiri del Governa-  
tore et faccia carcerare chi farà rumore.

---